



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiæ Augustæ Scriptores VI

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius
Lampridius. Flavius Vopiscus

Spartianus, Aelius

Lugduni Batavorum, 1671

De Salonino Gallieno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)

DE SALONINO GALLIENO.

SALONINUS hic Gallieni filius fuit, nepos Valeriani, de quo nihil est quod dignum in literas mittatur, nisi quod nobiliter natus, educatus regie, occisus deinde non sua sed patris causa. De hujus nomine magna est ambiguitas. Nam multi eum GALLIENUM, multi SALONINUM in historiis prodiderunt. Et qui Saloninum, idcirco quod apud Salonas natus esset, cognominatum ferunt: qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, & avi Gallieni summi quondam in Repub. viri. Fuit denique haec statua in pede montis Romulei, hoc est ante Sacram viam, intra templum Faustinae advecta ad arcum Fabianum, quæ haberet inscriptum, GALLIENO minori,

SALMASIUS.

I DE SALONINO GALLIENO.]

Delendus hic titulus & reponendum eius loco: SALONINVS GALLIENVS. Hic Gallieni filius fuit, nepos Valeriani. ita enim solent isti auctores cum duo aut tres aut etiam plures uno volumine includunt imperatores: idque paulo ante observavimus. idem Trebellius in sequente libello triginta Tyrannorum, non aliter usus est: CYRIADES. Hic patrem Cyriadem fugiens. POSTUMVS. Hic vir in bello fortissimus. LOLLIANVS. Hujus rebellionem in Gallia Postumus. & sic de ceteris, ut ibi ostendemus.

2 De quo nihil est quod dignum in literas mittatur.] Palatinus liber una voce auctior est: de quo quippe nihil est, quod dignum in literas mittatur. assentior tamen docto viri scribenti: nihil est dignum quod in literas mittatur.

4 Multi Saloninum in historiis prodiderunt.] Melius membranæ Palatinæ: multi Saloninum historia prodiderunt. atque ita etiam editio vetus.

GRUTERUS.

2 De quo nihil est quod dignum in lit-

teras, &c.] Pal. de quo quippe nihil est dignum. tamquam si quid periisset ante illud quippe.

7 Gallieno juniore, &c.] Sic cum aliis mss. Palat. editi enim minori.

CASAUBONUS.

3 Nihil est quod dignum in literas mittatur.] Melius, nihil est dignum quod in l. m.

5 Et qui Saloninum idcirco quod apud Salonas natus esset cognominatum ferunt.] Paulo post aliam causam allaturus est, de matris nomine, quæ dicta est Cornelia Salonina Pipara, sive Pipa. quod magis probo. nam Gallienus hanc sive conjugem sive pellicem suam infano amore deperit: ut scribunt ambo Victores.

6 Quæ haberet inscriptum, GALLIENO MINORI Salonino additum.] Scripti omnes, IVNIO non minori. ante Salonino, deesse copula videtur. pro additum membranæ, addit. scribo, SALONINO addito.

SALMASIUS.

6 Quæ haberet inscriptum Gallieno minori, Salonino additum.] Putavi aliquando legendum: quæ haberet inscriptum,

Q 2

GAL-

nori, Salonino additum: ex quo ejus nomen intelligi poterit. Transisse decennium imperium Gallieni satis clarum est: quod idcirco addidi, quia multi eum imperii sui primo anno periisse dixerunt. ² fuisse autem

& a-

GALLIENO MINORI SALONINO, deleta voce *additum*, quam perperam additam esse mihi persuadebam. Casaubonus scribendum censebat: SALONINO *addito*. ego vero nunc legendum & distinguendum esse ajo: *quæ haberet inscriptam, GALLIENO, JUNIORI SALONINO additam. inscripta pro inscriptio. ut supra consulta pro consultio. Ammiano instituta pro institutio. hoc est, quæ illam inscriptionem GALLIENO JUNIORI, haberet additam nomini SALONINO. hoc modo: SALONINO GALLIENO JUNIORI. disputat auctor de nomine Salonini & varias de eo sententias fuisse dicit. quidam Saloninum cognominatum assererent, quod apud Salonas natus esset, ex quorum sententia GALLIENVS SALONINVS fuerit dicendus. alii patris & avi nomine Gallienum cognominatum volebant. & secundum horum opinionem SALONINVS GALLIENVS dictus est. nam Gallienus cognomen illi sic fuit, Saloninus nomen. hanc sententiam denique probari testatur Trebellius ex inscriptione statuarum ejus, quæ GALLIENO additum habuit nomini SALONINO. hæc vera igitur est lectio & distinctio. juniori autem pro minori scribunt libri. sic Maximinus junior & senior: Philippus senior & junior: Gordianus senior & junior, & ita de reliquis.*

1 Quia multi eum imperii sui primo anno periisse dixerunt.] Multi, inquit, dixerunt primo imperii sui anno Gallienum periisse. immo certum est neminem id dixisse, atque adeo neminem hoc dicere potuisse. tam enim falsum est, quam res quæ falsissima est. ut Gallienus uno tantum anno imperarit? miror adeo negligenter in hoc loco versatos esse doctissimos viros, ut de vitio lectionis

ne admonuerint quidem. Palatinus & editio verus non agnoscunt heic illud primo. scribendum ex historiae fide: quod idcirco addidi quia multi eum imperii sui anno nono periisse dixerunt. de qua lectione non potest dubitari. nihil fuit facilius quam ut tolleretur vox illa nono post anno posita, propter syllabarum duarum concursum, cum ultima syllaba vocis anno. res autem ita se habet. vult evincere Trebellius totos decem annos transisse Gallieni imperium. nam & decennalia ab eo celebrata, & post decennalia, Gothos ab eo victos, cum Odenato pacem factam, cum Aureolo, pugnatum contra Postumum, contra Lollianum. at plerique omnes historici nono anno imperii vel decimo interfectum fuisse scripserunt. Trebellius in fine: ut quum xv. annos eosdem imperasse constet, id est Gallienum usque ad quintum decimum pervenisse, Valerianus vero sexto sit captus, alii ix. annis, alii decem etiam Gallienum imperasse in litteras mittant. ubi sunt igitur illi tam multi, qui primo anno imperii sui Gallienum periisse dixerunt? vera igitur conjectura nostra, scripserunt multos auctores nono imperii sui anno Gallienum extinctum. in his Aurelius Victor Scottus: huic novem annorum potentia fuit. quem sequitur Eutropius: Gallienus incerta fraude Aureoli ducis sui cum fratre Valeriano occisus est imperii anno nono.

2 Fuisse autem & alias rebelliones.] Vetus: & alios rebelliones. quod verum est. rebelliones pro rebellibus. sic in epistola Faustinae ad Marcum: hortor ut si amas liberos tuos, istos rebelliones accerrime prosequaris. Vopiscus in Probo; rebelliones quoque isto significato posuit. Glossæ: ἀνεξιγής. perduellio, rebellio. eadem Glossæ: rebellio, ἀνεξιγής, ἀνεξιγής.

x Rebellio

& alias ¹ rebelliones sub eodem ² de quibus proprio dicemus loco. ³ Siquidem placuit triginta tyrannos uno volumine includere, idcirco quod nec multa de his dici possunt & in Gallieni vita pleraque jam dicta sunt. Et hæc quidem de Gallieno hoc interim libro dixisse sufficiat. Nam ⁴ & multa jam in Valeriani vita: ⁵ in libro qui *De triginta tyrannis* inscribendus est, jam loquemur quæ iterari ac sæpius dici minus utile videbatur. Huc accedit quod quædam etiam studiose prætermisi, ne ejus posterius multis rebus editis læderentur. ⁶ Scis enim ipse quales homines cum iis qui aliqua de ² majoribus eorum scripserint, quantum gerant bellum: ⁷ nec ignota esse arbitror quæ dixit M. Tullius in Hortensio quem ad exemplum Protreplici scripsit. Unum ponam tamen quod jucunditatem quandam, sed vulgarem habuit, morem tamen novum fecit. Nam quum cingula sua plerique militantium qui ad convivium vene-

GRUTERUS.

¹ Rebelliones sub eodem proprio dicemus loco.] Ita quoque & nostri Pall. nam vulgati amplius eodem de quibus proprio.

⁴ Et multa jam in Valeriani vita, &c.] Cum sequatur statim iterum vocula jam, vel ibi tollenda venit, vel sane heic.

⁶ Scis enim quales homines, &c.] Præstitit scripsisse; Scis enim quale quantumque homines cum his, &c. nisi forte fuit, tales homines, ut placebat Casaubono nostro.

CASAUONUS.

¹ De quibus proprio dicemus loco.] De illa de quibus, postulante sententia, jubentibus manu exaratis.

⁵ In libro qui D.] Scrib. & in libro qui.

⁶ Scis enim ipse quales homines c.] Non quales, sed tales exigit sententia.

⁷ Nec ignota esse arbitror quæ dixit M. Tullius in Hortensio, q.] Huc refero verba ista ex eo libro quæ descripsit

Nonius: Qui cum publicas injurias lente tulisset, suam non tulit.

SALMASIUS.

³ Siquidem placuit triginta Tyrannos uno volumine includere.] Pal. viginti tyrannos. ut supra. vide quæ ibi notavimus: nam si patrem & filium imperatores unius imperatoris vice accipimus, viginti tantum Tyrannos habebimus. filii autem & cum patribus imperatores sunt facti, & cum iisdem interfecti. & sane ubi de iis agit, qui Romanum imperium sub Gallieno adfectarunt, non duos Postumos nominat, sed unum, quum tamen duo fuerint pater & filius: non duo Tetricos, sed Tetricum, & sic de aliis. in Lolliano: ita Gallieno perdente temp. in Gallia primum Postumus, deinde Lollianus, Victorinus deinceps, postremo Tetricus, nam de Mario nihil dicimus, affectatores imperii Romani extiterunt. triginta tamen retinemus, his de causis quæ in aperto sunt. proferre tantum volui scripturæ varietatem, & ejus tuendæ, si cui placere posset, rationem.

Q 3.

1. Edis

venerant, ponerent hora convivii, Saloninus puer, sive Gallienus, his auratos constellatosque balteos rapuisse perhibetur: & quum esset difficile in aula palatina requirere quod periisset, ac taciti militares viri detri-

menti

1 *His auratos constellatosque balteos rapuisse perhibetur.*] Non una ratio est quæ mihi hanc lectionem suspectam reddat. primum *stellatos* balteos ab auctore dictos, aut sane dicendos fuisse putarem, non *constellatos*. deinde cum balteos constellatos ab auratis distinguere videatur, quo genere ornatos, aut quo metallo intelligemus istos *stellatos*? *stellatum* auro, argento, gemmis, Latini vocant quidquid illis rebus decoratum distinctumque est & calatum. Virgilius:

— *stellatus iaspide fulva*

Ensis erat.

Gajus Memmius de triumpho Luculli apud Servium: *Syriaci calceoli gemmarum stellati coloribus*. Symmachus epist. II. lib. III. *ipsa vero pars materia digna laudari, quanto verborum stellatur auro!* ad quem locum vide miscellanea doctissimi & amicissimi nostri Jureti. in summa *stellatum* aliquid Latini dicere non consueverunt, nisi addant, quo genere vel qua materia *stellatum* illud sit. præterea *constellatos* heic non habet vetus Palatinus, sed *costillatos* pro eo legit. vetus editio: *costillatos*. nec dubium est inde *constellatos* factos esse hos balteos à correctoribus. sed quid dicemus de illa veteri lectione, aut quid ea faciemus? putaverim *costillatos* scriptum esse pro *postillatos* vel *postulatos*, hoc est *pustulis* vel bullis argenteis distinctos. *pustula* de argento optimo dicebatur. unde & *pustulatum* argentum: Martialis:

Et niveum candens pustula vincit ebur.

pustulatos igitur balteos heic interpretamur *pustulis* aut bullis ornatos. bullæ aureæ vel argenteæ in baltheis. Virgilius:

— *notu fulserunt cingula bullis,*
idem:

— *phaleras Rhannetis & aurea bullis*

Cingula.

pustulas etiam pro bullis Latini dicunt, & *pustulatum* pro bullatum. Tertullianus de concha margaritica: *quod si concha illa aliquid intrinsecus postulat, vitium ejus magis debet esse quam gloria. postulat pro pustulat.* sic hoc loco *postulatos* vel *postillatos* scriptum videtur fuisse, & corruptius *costillatos*. postumus heic *postulatos* accipere, *pustulis* argenteis, hoc est optimo argento variegatos & ornatos, quod *postulatum* dicebatur. nam & *pustulam* de optimo argento & valde puro dixit Martialis. & sic auratos & argentatos balteos heic haberemus. Plinius de laminis argenteis quibus ornabantur militum balthei: *capuli militum, ebore fissidito, celantur argento, vagina batillis, balthei laminis crepant. vel postulatos simpliciter accipe pustulis & bullis decoratos & variatos. quid si minimum recedendo à vestigiis antiquæ scripturæ legimus costillatos, & intelligimus regulis quibusdam & virgis argenteis in modum costarum positis & ordinatis distinctos? sic costillæ argenteæ dicerentur in baltheorum ornatu, ut laminæ & batilli eisdem baltheis ornandis & gladio vaginis apud Plinium memorantur. videant acutiores an verum dixerimus, & si non videmur dixisse, ipsi dicant.*

2 *Ac taciti militares viri detrimenta perulissent.*] Percussit me novitate sua lectio quam in membranis offendis nam præter expectationem accidit, ut varietatem in re tam aperta reperirem, in quam etiam capi attentius inquirere, postquam illis primam editionem consentire vidi. sic igitur habebant: *ac tacitis militibus viri detri-*
mentu

menti pertulissent, postea rogati ad convivium cincti accubuerunt. ¹ Quumque ab his quæreretur cur non solverent cingulum, ² respondisse dicuntur, Salonino deferimus. Atque hinc tractum morem ut deinceps cum imperatore cincti discumberent. ³ Negare non possum,

menta pertulissent. facile est divinatū prius fuisse: ac taciti ex militibus viri detrimta pertulissent. ex militibus viri, sunt militares viri. ut ex consulibus viri, sunt viri consulares. sic Maecenatem ex ducibus habuimus ante in Gordianis, ad quem locum plura de hoc loquendi genere notavimus.

CASAUBONUS.

¹ Cumque ab his quæreretur cur non solverent cingulum, respondisse dicuntur, Salonino deferimus.] Respicitur isti hac responsione sua ad morem veterem: ut omnes magistratus & quicumque jus gestandi gladii haberent, nonnisi accincti & cum omnibus suæ dignitatis aut loci insignibus, in contemptam principis venirent. Docuit nos istud Johannes Chrysofomus homilia in priorem ad Corinthios xxvii. τὸ ἀρχόντα, inquit, τὸ βασιλεὺς ὄνειδος. τὸ τ' ἀρχὸν σύμβολον ἔχει τοῦ θεοῦ. & paullo ante magis diserte de cingulo: ἡ δὲ εἰς τὸ ἀρχόντων χροεὶς ζώνης καὶ χλαμύδος πολυήσοιεν ἀν' αὐτῶν. καὶ τὸ ἀρχὸν ἔχει. quæ verba ad hunc locum sunt appositissima: nam loquitur Chrysofomus de militariis viris; quorum insignia cingulum & chlamys, apud omnes scriptores etiam Latinos. sed editum vitiose, χλαμύδος: quæ menda decepti interpretes.

SALMASIUS.

² Respondisse dicuntur, Salonino deferimus.] Ambiguum hoc militare virorum responsum, quod non videtur animadvertisse doctissimi viri. duplicem enim sensum potest habere: aut Salonini honori se hoc tribuere, aut ejus causa hoc facere, ut

baltheos non deponerent, ne iterum ab ipso raperentur, hoc responso voluerunt intelligi milites isti. sed magis verum est, illos sic intellexisse, ne iterum perderent baltheos suos, quos prius rapuerat Saloninus, Salonini causa se facere, ne eos dimitterent: cum tamen aliud etiam darent intelligendum, ambiguitate responsi, nempe se hoc ejus honori tributum velle: & tamen si honoris gratia id tantum fecissent, Gallieno potius patri & imperatori fuit deferendus, quam Salonino puero.

³ Negare non possunt aliunde plerisque videri huius rei ortum esse morem.] Unde mos iste deductus esset, ut nonnisi præcincti in imperatoria cœna discumberent milites. quarit hoc loco, & quæsitum plerisque ostendit Trebellius. falsa tamen sunt omnia, unde illius moris originem repetunt. quam nos tribus verbis aperiemus. sciendum est igitur, ita cunctos cum imperatore cœnasse milites, ut reliquos omnes qui milites non erant, togatos cœnare oportebat. quod enim militi cinctus, id non militi toga. nemini autem, qui imperatoris cœnæ rogatus interesset, licebat esse non togato. nam qui palliati veniebant, togam cogebantur accipere. Spartianus in Severo: habuit etiam aliud omen imperii: quum rogatus ad cœnam imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, togam præsidariam ipsius imperatoris accepit. privatis enim conviviis & suis nunquam togati accumbabant Romani, sed in domesticis vestibus & canatoriis cœnabant. togam enim domi non gestabant, sed simul ac erant domum ingressi, eam deponabant. ad imperatoriam vero cœnam

Quæ cuncta

ret) à cinctis inittum: ' cui rei argumentum est quod à discinctis etiam cum imperatore cœnatur. Quæ idcirco posui, quia digna & memoratu videbantur & cognitu. Nunc transeamus ad triginta tyrannos, qui Gal-³ lieni temporibus contemptu mali principis extiterunt. De quibus breviter & pauca dicenda sunt. Neque enim digni sunt eorum plerique ut volumen talium hominum saltem nominibus occuparetur: quamvis eorum aliqui non parum in se virtutis habuisse videantur, multum etiam reipublicæ profuisse. Tam variæ item opiniones sunt de Salonini nomine, ² ut, qui se verius putant dicere, ³ à matre sua Salonina

CASAUBONUS.

1 Cui rei argumentum est, quod à discinctis etiam cum imperatore cœnatur.] Si verum esset cepisse duces cum gladiis discumbere in convivio principali, occasione Salonini, aut reverentiæ in principem gratia; semper id servaretur, quoties aliquis vir militaris imperatoris epulis interesset. atqui, ait Trebellius, non ita fit: nam ad cœnam vocatos, etiam discinctos accumbere, nulla est invidia. cur aliter fit in militari prandio? hæc ratio firmissima est.

3 A matre sua Salonina.] Cornelia Salonina, ut in nummis Græcis Latinisque, & apud Porphyrium in vita Plotini, ubi perhonestæ est hujus mentio.

GRUTERUS.

2 Ut qui se verius putant dicere.] Pal. putet. qui tamen deinde non agnoscit vocem dicant.

SALMASIUS.

1 Cui rei argumentum est quod à discinctis cum imperatore cœnatur.] Hunc locum & male legerunt, & pejus acceperunt eruditissimi viri. primum, nihil est certius, quam esse legendum: cui rei argumentum est quod ab iis cinctis etiam cum imperatore cœnatur. ab his cinctis, id est, à militibus cinctis. tractat

de origine ejus moris, quo cincti milites cum imperatore discumbent. quibusdam enim ad illam Salonini supra expositam fabulam referentibus, alii deductum ejus moris initium aliunde volebant: quorum hæc erat ratio. prandium militare prius dicebatur, quod milites pugnam initturi sumebant, & dictum inde prandium, quod paret ad pugnam milites. cincti autem prandebant, ut statim à prandio, nulla oblata mora pugnam capefferent. hinc proverbium, *prandius paratus*. nam pransi milites, erant ad pugnandum parati. quod verum esse, etiam illud, inquit Trebellius, argumento est, quod etiam ii cincti cum imperatore cœnant. nam etsi ad imperatoriam cœnam rogati, non militariter cœnent, nec militare prandium capiant, ut à prandio pugnam ineant, tamen ad illum morem respicientes, quo cincti solent prandium militare inire, etiam tum cum in imperatoris convivio cœnant, cincti discumbunt. is est sensus hujus loci: hæc vera lectio.

2 Ut qui se verius putant dicere.] Ut qui se verius putet dicere, à matre sua Salonina appellatum esse dicat. Pal.

3 A matre sua Salonina appellatum esse dicat.] Existimavi aliquando Aurelium Victorem aliam Saloninam tace-

na appellatum esse dicant, 'quam is perditē dilexerit,' Piparam nomine, Barbaram regis filiam.³ Gallie-

nus

facere, quæ conjux fuit Gallieni, ab ejus concubina, quæ Pipa nomen habuit, & barbari regis filia fuit. eo me inducebant ejus verba, quæ ita se habent: *inter hæc ipse popinas, gancasque obiens, lenonum ac vinariorum amicitis hærebatur, expositus Saloninæ conjugi atque amori flagitioso filia Attali Germanorum regis, Pipæ nomine. quis enim non censeat, horum verborum colore, diversam esse Saloninam Gallieni conjugem, ab illa Pipa regis Germanorum filia, cujus flagitioso amori expositum fuisse Gallienum scribit? sed postea intellexi deesse vocem unam Aurelio, quam ex historica fide, aliorumque scriptorum auctoritate, sic puto restituendam: *expositus Saloninæ conjugi atque concubinae amori flagitioso, filia Attali Germanorum regis, Pipæ nomine. atque ita plane habet vulgarius Victor, qui ab illo altero Victore mutuatus, mutatis aliquot verbis, nonnullis etiam additis ita scripsit: amori diverso pellicum deditus, Saloninæ conjugi, & concubinae, quam per pacitionem concessa parte superioris Pannoniæ, à patre Marcomannorum rege matrimonii specie susceperat, Pipam nomine.**

CASAUBONUS.

1 *Quam is perditē dilexerit.*] Is, hoc est, Gallienus, Salonini pater. explicat Aurelius Victor.

2 *Piparam nomine Barbaram, regis filiam.*] Pipam Victor uterque nominat, filiam Attali Germanorum regis, Aurelius Victor Schotthi: alter Marcomannorum. sic libro sequente appellat mulierem Barbaram, non uxorem Gallieni: quæ tamen pro uxore habita, & Augusta. sed non creditæ sunt nuptiæ, quas civis Ro. cum peregrina contraxisset.

3 *Gallienus cum suis semper flavum crinem condidit.*] Id vult quod supra jam dixit: *crinibus suis auri scobem aspersit. de quo more notatum nobis superio-*

re quodam loco. non tacebo lectionem omnium veterum, ut de ea docti cogitent: nos quidem nihil boni inde elicimus: sic autem habent; *Gallienus cum cujus flavo crine condit.*

GRUTERUS.

1 *Quam is perditē dilexit.*] Cum supra exsulet, ut indicavi, vox dicant, & habeat heic Palatinus, *perditē dilexit;* illudque is commode referri possit ad Gallienum patrem Salonini, cujus proxima periodo nulla mentio; fere suspicor aliquot excidisse verba, locumque mancum.

3 *Gallienus cum suis semper flavum crinem condidit.*] Forfan etiam ante ista hæc quædam desiderantur. nam Pallic ea concepit: *Gallienus cum suis semper flavo crine condit.*

SALMASIUS.

1 *Quam is perditē dilexerit.*] Quamvis *perditē dilegit,* Pal. lege: *quam is perditē dilegit, dilegit pro dilexit:* ut negligit pro neglexit, intellegit pro intellexit.

2 *Piparam nomine barbaram regis filiam.*] Omnino scribendum: *Piparam nomine barbarorum regis filiam: vel barbari regis filiam.* sed illud malo. unus è Victoribus, Germanorum regis: alter, Marcomannorum: tutius Trebellius, qui barbarorum.

3 *Gallienus cum suis semper flavum crinem condidit.*] Hoc quid sit, neminem extare puto qui intelligat. constans in veteribus scriptura est: *Gallienus cum suis semper flavo crine condit.* minime quidem est dubium, quin idem velit hoc loco designare, quod paulo ante aliis verbis sic expressit: *crinibus suis auri scobem aspersit.* Spartianus in eadem re, *capiti auri ramenta respergere, & capillum auri ramentis illuminare,* dixit. legendum igitur hoc loco: *Gallienus cum suis semper flavo crinem condidit, condit in membranis scriptum erat pro condidit. ut peris pro peris, paulo supra,*

nus cum suis semper flavum crinem condidit. De annis autem Gallieni & Valeriani ad imperium pertinentibus adeo incerta traduntur, ¹ ut ² quum xv. annos eosdem imperasse constet, id est Gallienum usque ad quintumdecimum pervenisse, Valerianus vero sexto

fit

pra, & petit pro *petit*, & similia innumerabilia. *flavum* autem eleganter aurum appellat. sic *flava moneta*, Martiali pro aurea:

Hos nisi de flava loculos implere moneta

Non decet: argentum vilia ligna ferant.
& *flavos* idem absolute dixit, nummos aureos:

Et de moneta Caesaris decem flavos.

fallitur enim bonus Calderinus, qui *flavos*, *Flavios* esse putat. *flavi* enim sunt aurei nummi: ut *flavum* hoc loco est aurum. sic recentiores *ὑπέροπυρον* aurum appellarunt. inde *ὑπέροπυρα* vel *ὑπέροπυρα*, solidi aurei. ita enim *ὑπέροπυρον* & *ὑπέροπυρον* scribebant. sed de his alibi. *flavo* igitur *crinem condire*, est auro aspergere, & aureis ramentis illinere. *χρυσῶν καὶ ἀπὸ χρυσοῦ ἀλείφειν*. sic etiam in alia re, *conditor, ἀλείφειν ἰσπῶν* in veteri Glossario exponitur.

¹ Ut quum xv. annos eosdem imperasse constet, id est Gallienum usque ad quintumdecimum pervenisse.] Nihil heic cohæret, si diligenter attendas. vetus omnis lectio sic habet: ut quum quindecim annos eosdem imperasse constet. id est Gallieni usque ad quintumdecimum annum pervenisset, Valerianus vero sexto sit captus, &c. forte scribendum: id est Gallienus usque ad quintumdecimum annum pervenit, Valerianus vero sexto sit captus. sequitur in iisdem veteribus etiam corruptius, alii novem annis, bis decem alii etiam Gallienum imperasse in litteras mittant. scripserim etiam heic, alii novem annis, decem alii etiam Gallienum imperasse in litteras mittant. hoc unum pertendit Trebellius hoc loco, quod & ante tetigit, Gallieni imperium decennium transisse, adversus eorum sententiam, qui novem annis, aut de-

cem etiam cum tantum imperasse asseverabant. constat, inquit, inter omnes, Valerianum & Gallienum quindecim annos regnasse. hoc si verum est, necesse est ad quintumdecimum annum pervenisse Gallienum. pater autem Valerianus sexto anno imperii captus est. sic Gallienus sex annos cum patre imperavit, novem annos solus, post patris captivitatem. totum igitur quindecim anni ejus imperii fuere. cui firmando satis esse etiam addit idem Trebellius, quod & decennalia imperii ab eo celebrata fuisse constet, & post decennialium celebrationem multa ab eodem gesta, qua ad bellum, qua ad pacem pertinentia, quibus omnibus annorum quinque spatium potuit impendere. posset tamen objici Trebellio, auctores illos qui Gallienum novem annis imperasse tradiderant, quorum in numero esse vidimus utrumque Victorem, de solis annis, quibus post patrem imperavit, intellexisse. ad sextum annum imperii pervenerat Valerianus, cum captus est. illis sex annis, si novem addas, quos in imperio fuisse Gallienum, scriptum reliquerunt auctores, quindecim fient anni, quos tot imperasse Valerianum & Gallienum constat. hæc velim ab iis considerari, qui sui muneris faciunt hanc historiae partem, quæ per annos, tanquam per calculos, rerum gestarum seriem, digerit & componit.

CASAUBONUS.

² Cum xv. annos eosdem imperasse constet.] Vere constat, & certo quidem, vel ex libro Porphyrii de Plotini vita. nam ibi Porphyrius, qui tum vivebat cum Plotino, anni hujus meminit.

1 Nam

fit captus, alii IX. annis, alii decem etiam Gallienum imperasse in literas mittant: quum constet & decennalia Romæ ab eodem celebrata, & post decennalia Gotthos ab eo victos, cum Odenato pacem factam, cum Aureolo initam esse concordiam: pugnatum contra Posthumium, contra Lollianum, multa etiam ab eo gesta, quæ ad virtutem, plura tamen quæ ad dedecus pertinebant. ¹ Nam & semper noctibus popinas dicitur frequentasse, ² & cum lenonibus, ac etiam mimis scurrisque vixisse.

¹ Nam & semper noctibus popinas dicitur frequentasse, & cum lenonibus ac etiam mimis scurrisque vixisse.] Ammianus libro XIV. Novo denique permittit, quoque exemplo idem Gallus ausus est inire flagitium grave, quod Romæ cum ultimo dedecore tentasse aliquando dicitur Gallienus: & adhibitis paucis clam ferro succincta vesperi per tabernas palabatur & compita. Similia his narrantur de Caligula, Nerone, Vero, & Alagabalo. at de Gallieno eadem iterum, sed brevius,

Pollio libro proximo in Saturnino.
SALMASIUS.

² Et cum lenonibus ac etiam mimis scurrisque.] Brevius & melius Palatinus: & cum lenonibus, mimis scurrisque vixisse.

GRUTERUS.

² Ac cum lenonibus, mimis, scurrisque vixisse.] Ita malui cum Palatino, quam ut erat in retro publicatis, cum lenonibus, ac etiam mimis scurrisque vixisse.